

8813
1770, 27.
QVAESTIO
IVRIS CONTROVERSI
AN
NEGOTIORVM GESTOR
TENEATVR
PRAESTARE CASVM
FORTVITVM
QVAM
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA
P R A E S I D E

D. CHRISTIANO HENR. BREVNING

PROFESSOR. PVBLIC. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT.
ET SOCIETAT. LITER. DVISBURG,

SOCIO

IN AVDITORIO PETRINO

DIE XXVIII. IVLII. ANNO CICICCLXX.

P V B L I C E D E F E N D E T

CAROLVS GOTTFRIED HVBRIG

SCHWERT. L VS AT.

LIPSIAE
LITERIS RVM PFIIS.

ГЕРМАНИЯ
ИУРІС СОНТЮАЛІЯ

ІОАНН ГЕРГОЛ
ІУАНІА
ІУАНІА ПІДІЛ

ІАКОВІО МІСТОВІАЛІ

ІАКОВІО САЛАМІ

ІАКОВІО СІЗОДІАКІЛІ

ІАКОВІО СІЗОДІАКІЛІ



AN
NEGOTIORVM GESTOR
TENEATVR PRAESTARE CASVM
FORTVITVM.

§. I.

E st omnino multum difficultatis de-
finiendi culpas, quibus gradus po-
suere ICti, ad quem videlicet modum
in singula causa culpa praestanda,
quamue diligentiam singula causa re-
quirat. Ita de culpae praestatione in *negotiorum gestio-*
ne multum disputatum est, vtrum medium diligentiam
seu boni patris familias in alieno negotio gratis spon-
te

re peragendum suscepito negotiorum gestor adhibere, siveque quam vocant leuem culpam praefare debeat; an vero exactissime diligens negotiorum gestor obligatus sit damnum sarcire culpa adeo leuissima datum, quae utique verissima mihi videtur sententia. Sed tacitus hanc praetereo doctam item ab aliis doctis viris acute doceque expositam. Nobis ergo ea tractanda erit quaestio, an et in quibus speciebus ad praestandum damnum, quod casu fortuito contigit, in re atque negotio alieno a negotiorum gestore tractato, ipse negotiorum gestor teneatur. Hanc breuiter examinabimus controuersiam.

NEGOTIORUM GESTOR
IN PRACTICE CASES
S. II.
TORTIUM

Solum est humanitatis officium, quod peragit, qui alterius suscipit negotia. Et cum velint leges, ne cui officium damnosum sit, nonnullis iam admodum durum videbatur, negotiorum gestorem ad maiorem obligare diligentiam, quam ordinariam: quid ergo dicamus de casus praestatione, quia, si ad eum ferendum negotiorum gestor teneretur, efficeretur, ut aliorum negotia plane indefensa manerent, nisi procurator a negotii domino constitutus. Dein trita regula est, *casum in nullo negotio praefari*, magisque leges ponunt, ut *casum dominus sentiat*. Quapropter dubium non est, quin negotiorum gestor in regula a casus fortuiti praestatione immunitus pronunciandus sit. Hinc apud VLPIANVM in

L. 10.

¶ + ¶

L. 10. §. 1. ff. de Negot. gest. legitur: *Sufficit, si utiliter gestit, et si effectum non habuit negotium et ideo si insulam fulsit, vel seruum aegrum curauit: etiam si insula exusta vel seruus obiit, ager negotiorum gestorum.* Neque alienus ab hac opinione est CAIVS L. 22, ff. eod. Ait: *Sive hereditaria negotia, sive ea, quae alicuius essent, gerens aliquis necessarium emerit: licet ea interierit; poterit, quod impenderit, iudicio negotiorum gestorum consequi: veluti si frumentum aut vinum familiae parauerit, idque casu quodam interierit: forte incendio, ruina..*

§. III.

Hæc quo certiora sint, tamen regulam formant, quae interdum suum perdit officium. Dantur enim exceptiones, quae quidem non tollunt regulam, at subvertunt. De his ergo speciebus agendum est. Duo potissimum sunt themata, in quibus in aliis negotiis casus utique praestandus, nec eum sentiat dominus. 1) Si culpa praecedat, quam sequatur casus. 2) Si pacto causa praestatio promissa. Iam videamus, an et haec obtineant in negotiorum gestione.

§. IV.

Debet I. casus praestari, *si culpa praecedat.* Neque dubitandum est, idem hoc obtainere in negotiorum gestione. Adprobant hoc adeo iudicium ipsa legum atque iuris capita. Elegans caput est PAVLI in L. 13. ff.

A 3. de:



de Negot. gest. Ait: Debitor meus, qui mihi quinquaginta debet, decessit. Huius hereditatis curationem suscepit (sc. tanquam negotiorum gestor) et impendi decem. Deinde redacta ex venditione rei hereditariae centum in arca reposuit, haec sine culpa mea perierunt. Haec facti species. Pergit ICtus ad dubiam exinde exhibitam quaestionem: *Quaeſitum eſt, an ab herede* (ſcil. debitoris mei, cuius negotia gessi in curata illa hereditate, quippe quae iacens adhuc defuncti personam ſuſtinet.) *qui quandoque extiſſer vel creditam pecuniam quinquaginta petere poſſim vel decem, quae impendi:* illa videlicet quinquaginta actione ex mutuo vel alia, haec negotiorum gestorum contraria. Ita quaefatio dubia, quae tacite in ſe continent alteram: num potius egomet creditor, ob culpam meam, quod creditum non deduxerim atque, quod potius illam pecuniam reposuerim, ipſemet caſum ferre debeam, non vero heres. Pergit amplius ad dubitationis examen: IULIANVS ſcribit: in eo verti quaesionem; an iuſtam cauſam ha- buerim ſeponendorum centum. Subintelligendum praeterea, an iusta potius defuerit cauſa, cur ſepofuerim eam pecuniae ſummam. Julianus ergo primum respondet ad eam distinctionis speciem, quam in mente retinuerat. Nam, inquit, ſe debuerim et mihi et ceteris hereditariis cre- ditoribus ſoluere; periculum non ſolum ſexaginta, ſed et re- liquorum quadraginta { millium } me praefaturum; decem ta- men, quae impenderim retenturum, (id eſt ſola nonaginta reſtituenda.) Haec ita, vt quis haſtitare poſſit. Quid enim millia hic faciant? Forſitan non improbe TAV- RELLIVS

KELLIVS hoc signum { } adiecit, ut superfluum verbum
millium excluderet. Neque tamen plane deest ratio,
qua excusari possit Julianus. Quid enim, si ipse IC-
tus in mente scribens HS. habuerit, facile fieri poterat,
ut excideret verbum millium, quippe haec vox plerum-
que subintelligenda. Sed lusus est. Haec ergo non
morantur. Ad quid! quae illa computatio. Primum
periculum fert negotiorum gestor non sexaginta solum,
sed et reliquorum quadraginta, et sic totius summae,
scilicet centum. Paulo post retinet decem et restituit
nonaginta. Haec sibi videntur aduersari! Sed salua res
est. Duplex in me persona deprehenditur, et creditoris
et negotiorum gestoris. Negotiorum gestor primum
utiliter decem impendo ad haec restituenda tenebatur he-
res, qui post aditam debitoris hereditatem negotii domi-
nus videbatur. a. L. 10. §. 1. ff. de Neg. gest. et eum a domi-
no negotii petere possem, retinere potero et nonaginta
tantum heredi restituere. Cum vero perierint integra cent-
um, decem retinendo, nihil consequor, sic horum decem fero
periculum. Et cum ob culpam commissam casum sentiam,
teneor nonaginta restituere, sic fit, ut et quinquaginta, quae
defunctus debebat, periculum: hinc sexaginta cum reli-
quorum quadraginta periculum simul sentiam. Non ergo
ut creditor periculum fero, sed si ut negotiorum gestor no-
naginta restituerim ferendo casum de rebus, quae culpa
perierant, quinquaginta credita consequi possum condic-
tione certi ex mutuo vel alia personali actione pro qual-
itate debiti, sed consequendo quinquaginta, nihil
conse-





consequor, quippe ut negotiorum gestor prius restitueram.

§. V.

Iam pergit **IVLIANVS** apud **PAVLVM**. c. l. ad alteram distinctionem: *Si vero iusta causa fuerit, propter quam integra centum custodiarentur; veluti si periculum erat, ne praedia in publicum committerentur, ne poena iraeclitiae pecuniae augeretur, aut ex compromisso committeretur; non solum decem, quae in hereditaria negotia impenderim, sed etiam quinquaginta mihi debita sunt, ab herede me consequi posse.* i. e. cum culpa desit imputanda, res perit suo domino sc. heredi. Hinc et negotiorum gestor repeto decem et creditor peto debitum.

§. VI.

Neque videtur alia causa, quam *culpa* esse, cur **PROCVLVS** apud **POMPONIVM** in *L. II. ff. de Neg. gest.* negotiorum gestorem ad ferendum casum damnet. Verba **ICti** sunt: *Si negotia absentis et ignorantis geras: et culpam et dolum praestare debes.* Sed **PROCVLVS**, interdum etiam casum praestare debere: *veluti si NOVVM NEGOTIVM QVOD NON SIT SOLITVS ABSENS FACERE tu nomine eius geras: veluti venales nouitios coemendo, vel aliquam negotiationem ineundo.* Nam si quis dannum ex ea re securum fuerit, te sequetur, lucrum vero absentem. Plerumque singularem constituant causam casus praestandi interpretes, videlicet, *si insolitum negotium gerere suscepit.* Sed quis non videt et culpam in hac specie interuenire. Qui enim nego-

negotium, quod alter gerere solitus non est, non gerit alterius negotium. Hinc sibi imputare debet, si postea sperata vtilitas ex insolito illo negotio deficit inque locum vtilitatis damnum euenit, atque frustra et labor et pecuniae impensae sunt. Neque dici potest, vtiliter gessisse negotium alienum, quod alter gerere solitus non est. Et cum vtilitas a parte gestoris fundamentum sit obligationis; consequitur, eum non posse repetere impensas; imo vi oppositi, si damnum in eum redundet, cuius nomine negotium insolitum suscepit gestor, recte de eo damno, quamvis fortuito casu contigerit, tenebitur.

§. VII.

Demum II. pergimus ad alteram danni praestandi causam, scilicet ad *pactum*. Qui enim promisit in se susceptum fatale damnum, is dein recte ex promisso tenebitur. Nihil moneo de pacto eiusque effectu, si ipsi contractui adjiciatur in continent, vel si ex interuallo. Haec subtilitas Romana usu non omnino frequentatur. Sed quid nobis negotii erit cum pacto in negotiorum gestione, qui ignorantis negotia gerimus. Quomodo pacificamur cum eo, qui ignorare debet, nos eius gerere negotia? Quare non plane a re ipsa alienum est in hac causa BYNKERSHOEKII in *Obseru. L. I. cap. VII. iudicium*. Ait: *Imo id pactum, utpote ab negotiorum gestione alienum et remotum, gestorum obligare negat ratio. caet. Hoc vero non obstante DIOCLETIANVS et MAXIMIANVS AA. in L. 22. C. de negot. gestis. Eulogio cuidam expresse rescriperant: Negotium gerentes alienum non interueniente speciali*

B

ciali



ciali pacto, casum fortuitum praefare non compelluntur. Vexauit hoc rescriptum acutum Bataui ingenium, qui propterea corruptum illud arbitratur, maxime in verbis *interveniente speciali pacto*. Librarius ergo culpam ferat, quem ut probabilius accuset, arbitratur P. cum F. submutatum fuisse, et legendum *interveniente speciali facto*. Non quidem nego, emendationem commendare modestiam, nego vero et necessitatem emendationis. Neque ex iis argumentis, quibus suam defendit emendationem, eidem calculum adderem, quippe putat, literas P. et F. saepe in libris iuris civilis commutari, prouocans ad L. 4. §. 1. C. de *Advoc. diuersi iudicium*. ubi pro *puncti solatia* legendum censet *functi solatia*. Docuit me quidem historia Pandectarum florentinarum, huiuscemodi scribendi vitia a graeculo librario in his commissa, permutatis inter se literis; sed nescio, an recte ad MSpta Codicis detur conclusio. At, quamuis hic ob breuitatis studium non liceat disputatione contra emendationem L. 4. cit. quam non magis necessariam censeo, tamen nihil probat hoc exemplum in defensione emendationis ad L. 22. cit. Nec me mouebit autoritas *Cheuallioniae* editionis, quam superat autoritas librorum graecorum. Confirmant me maxime in lectione communi LIBRI BASILIKΩΝ Lib. XVII. Tit. II. L. 22. qui sensum exhibentes, eadem lectione vni, quem locum et excitat Bynkershoek. Verba sunt: εἰ μὴ ἴδετο περὶ τούτων γένυται σύμφωνον. Debet ergo adesse conuentio, ex qua casus praestatio venit. Fateor quidem, emendationem Bynkershoekianam reddere faciliorem interpretationem,

tionem, quippe lex de ea specie ageret, quam supra §.
VI. exposuimus; nihilominus tamen videamus, an den-
tut species, ad quas rescriptum adipicari poterit. Rem
ita fingo: Eulogii negotia absentis quis gesserat, v.c. colen-
do agros, redux expectaturus messem gestor de ratihabi-
bendo interpellabat priuatim atque expensarum restitu-
tionem vrgebat. Negabit ratihabere negotium, quod
adhuc ignorabat, an vtiliter gestum, Eulogius expectatu-
rus messem sive gesti negotii euentum, nisi pacto ca-
sum in se susciperet gestor. Hic vtique promittit, se praef-
stiturum casum. Quis dubitat, si postea contra Eulo-
gium agat, posse exceptione pacti repellli, si casu vtilitas
intercepta sit. Quod si ergo tale pactum non interuenie-
rit, et negotium vtiliter gestum, ad ferendum ea-
sum fortuitum negotiorum gestor compelli nequit,
quin potius negotiorum dominus actione contraria
conuentus condemnari poterit in expensarum resti-
tutionem. Non itaque incidimus in eam facti speciem,
quam reprobauit Batauus, qua qui olim gesserat, dein
cum domino paciscitur. Nos de eo loquimur, qui ge-
rens negotium alienum paciscitur cum domino ratihabi-
turo. Neque stultitiam pacti accusarem ex argumento,
quod in lege scriptum negotium gerentes alienum; facile
enim patet ex L. 23. ff. de neg. gest. negotia gerens significa-
re negotiorum gestor. Hic non ad praesentiam peragendi
negotii respicitur, sed ad obligationis effectum. Nam,
nec is amplius gerens est, qui compellitur ad damnum
resarcendum; tunc enim iam gesserat negotium. Neque
huic




huic pacto obesse putarem sententiam L. 72. ff. de contr. empt. Quae enim PAPINIANVS disputat de pactis venditionibus adiectis ex interuallo, vix nostram tangent causam. Nam nihil immutatur augendo in negotiorum gestione, quae in facto consistit tantum, nec praesupponit partim prius consensum, vt in venditione, sed auget tantum negotii naturale, quod semper pacto mutari potest. Secus in exemplo L. 72. cit. in qua pretium immutatum pacto. Pretium vero determinatum et certum constituit substantiam emtionis. Eo ergo mutato, noua sit emtio, quod et obseruavit ICtus. Quapropter cum species singi possit, qua interueniat pactum in negotiorum gestione, putauerim, saluam legis esse letionem suffultam autoritate graecorum.

§. VIII.

Sed quid dubitemus hodie de huius explicationis applicatione, qui scimus, pactum quandocunque initum, solum si deliberatus pacientium animus fuerit, firmissimam producere actionem.

T A N T V M.



VD18

ULB Halle
007 208 200

3





1770, 27.

8813
QVAESTIO
IVRIS CONTROVERSI
AN
NEGOTIORVM GESTOR
TENEATVR
PRAESTARE CASVM
FORTVITVM
QVAM
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA
PRAESIDE

D. CHRISTIANO HENR. BREVNING

PROFESSOR. PVBLIC. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT.
ET SOCIETAT. LITER. DVISBURG.

SOCIO
IN AVDITORIO PETRINO

DIE XXVIII. LVII. ANNO CICICCLXX.

PVBLICE DEFENDET

CAROLVS GOTTFRIED HVBRIG
SCHWERT. LVSAT.

LIPSIAE
LITERIS RVMPFIIS.